

ex certitudine procedebat. Sed hoc propter præcedens vaticinium fuisset certissimum signum Filii Dei viventis.

Ad quartum dicendum, quod intelligitur de lapidatione infamæ: vel quia erat de stirpe sacerdotali ex parte matris; quod patet ex hoc quod Elisabeta, quæ erat de filiabus Aaron, dicitur ejus cognata, Luc. 1. Filia autem sacerdotis, etiam non nupta, deprehensa in stupro exurebatur, ut patet Lev. 21. sed ex parte patris erat de stirpe David. Bene enim poterant per matrimonium conjungi filia Aaron illis de tribu regia, vel etiam quibuslibet alterius tribus, eo quod non acceperant hæreditatem divisam ab aliis tribubus; & sic ex hoc non potuit confusio sortium provenire, quæ erat causa prohibitionis matrimonii contrahendi inter illos qui erant de diversis tribubus.

Ad quintum dicendum, quod Dominus maluit permittere Judæos dubitare de Deitate sua quam de castitate matris, sciens lubricam esse virginitatis famam, ut Ambrosius dicit, super Luc. c. 1.

Ad sextum dicendum, quod Christus non debuit necessitatis solatium refutare: quia hoc perversitatis magis est quam humilitatis.

ARTICULUS II.

Utrum matrimonium prædictum fuerit perfectum.

III. P. q. xxix. art. 2.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium prædictum non fuerit perfectum. Perfectum enim matrimonium ex absoluto consensu procedit. Sed beata Virgo non absolute in matrimonium consensisse videtur, sicut nec absolute vovisse; cum in utroque se dispositioni divinæ commiserit, ut in littera dicitur. Ergo non fuit perfectum matrimonium.

2. Præterea. Significatio est de essentia matrimonii, in quantum est sacramentum. Sed matrimonium illud non fuit perfectum in consignificatione, ut in littera dicitur. Ergo non fuit perfectum sacramentum.

3. Præterea. Ubi deest ultima consummatio, non est vera perfectio. Sed matrimonium beatæ Virginis nunquam fuit consummatum. Ergo non fuit vere perfectum.

4. Præterea. Perfectum dicitur esse matrimonium ex eo quod habet bonum prolis. Sed illud matrimonium non habuit bonum prolis, quia proles quæ fuit in illo matrimonio educata, non fuit effectus illius matrimonii, sicut nec filius adoptivus dicitur bonum matrimonii. Ergo non fuit perfectum matrimonium.

5. Præterea. Post perfectum matrimonium non licet alicui sponsam dimittere. Sed Joseph, quamvis esset justus, volebat eam occulte dimittere, ut dicitur Matth. 1. Ergo nondum erat perfectum matrimonium.

Sed contra. *Dei perfecta sunt opera*: Deut. xxxi. 4. Sed illud matrimonium fuit divinitus inspiratum. Ergo fuit perfectum.

Præterea. Per matrimonium non dicuntur aliqui conjuges, nisi sit perfectum. Sed Maria dicitur conjugata Joseph, Matth. 1. Ergo fuit inter eos perfectum matrimonium.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod duplex est perfectio matrimonii. Una quantum ad esse ipsius, quæ fit per consensum verbis de præseni expressum; & tali perfectione matrimonium illud perfectum fuit. Alia est

perfectio quantum ad operationem; & sic non fuit perfectum, quia actus proprius matrimonii est carnalis copula.

Ad secundum ergo dicendum, quod beata Virgo absolute in matrimonium consensit, ut certificata divinitus; sed in matrimonium sic consentiens virginitatem suam Deo commisisse in littera dicitur.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de secunda perfectione, quæ consummatio dicitur matrimonii.

Ad quintum dicendum, quod significatio non quælibet est de essentia sacramenti, sed illa qua significatur effectus sacramenti: & ideo ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur, & educatur; & sic bonum illius matrimonii fuit proles illa, & non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii: quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter quod proles illa susciperetur in eo, & educaretur.

Ad quintum dicendum, quod Joseph noluit eam dimittere quasi aliam ducturus, vel propter aliquam suspicionem, sed quia timebat tantæ sanctitati cohabitare propter reverentiam: unde dicitur ei: *Noli timere*: Matth. 1. 20.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium illud fuerit aliquando consummatum.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod matrimonium illud fuerit aliquando consummatum. Dicitur enim Matth. 1. 18. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Et item 25. *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo videtur quod post cognoverit eam.

2. Præterea. Primum dicitur respectu secundæ. Sed Christus in auctoritate inducta dicitur primogenitus filius Virginis. Ergo post primum habuit alium; & sic matrimonium illud, saltem post Christi natiuitatem, consummatum fuit.

3. Præterea. Non defuerunt verba Evangelistis ad exprimendum suam intentionem. Sed nunquam expresserunt quod Joseph amplius eam non cognosceret. Ergo post Christi generationem matrimonium fuit consummatum.

4. Præterea. Joseph dicitur pater Christi in pluribus Evangelii locis, & dicitur etiam habere fratres; quod non esset, si matrimonium illud nunquam fuisset consummatum. Ergo &c.

5. Præterea. Duo corpora non possunt simul esse in eodem loco. Ergo Christus non potuit exire de ventre matris integritate virginitatis manente; & sic non fuit inconveniens quod matrimonium illud consummaretur.

6. Præterea. Abraham, & alii patres qui conjugii usi sunt, maximæ dignitatis fuerunt. Ergo nihil deperisset matri Christi, si matrimonium consummasset.

7. Præterea. Helvidius objicit. Si turpe est Christo matrem cognosci post partum, quanto magis per genitalia virginis esse natum?

Sed contra. Virginitas corruptioni præponitur. Sed mater Christi debuit esse in excellentissimo statu. Er-

go debuit esse virgo, & sic non debuit illud matrimonium consummari.

Præterea. Non est probabile quod Joseph auferet uterum quem templum Dei noverat, attingere, ut Hieronymus dicit, cont. Helvid.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod mater Christi ante partum, & in partu, & post partum in æternum virgo permansit. Sed ejus virginitati ante partum Judæi, & Ebionitæ derogant, dicentes, Christum ex Joseph semine esse natum. Ejus autem virginitati in partu Philosophi derogabant, dicentes, non posse duo corpora esse in eodem loco. Sed virginitati ejus post partum Helvidius quidam idiota, & sacerdos ausus est derogare, quod loquacitatem facundiam æstimans, accepta materia disputandi, à blasphemis matris Dei incepit, dicens eam post partum à Joseph cognitam; & contra quem Hieronymus librum conscripsit.

Ad primum ergo dicendum, quod *antequam* non semper denotat ordinem ad illud quod futurum est secundum rei veritatem, sed quandoque ad illud quod futurum speratur secundum communem cursum, secundum quod dicitur: Iste, antequam haberet viginti annos, mortuus est: & sic est in proposito. Et similiter *ly donec*, quandoque significat hoc quod præcessit, terminari veniente eo quod expectatur, ut cum dicitur: Sede hic, donec veniam: quandoque autem non sic, ut cum dicitur I. Corinth. xv. 25. *Oportet et illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*: non quod tempus regni ejus finiatur ad subjectionem inimicorum; sed subiectio inimicorum in tempore regni includitur.

Ad secundum dicendum, quod primogenitus dicitur ante quem nullus, quamvis post ipsum non sit alius: alias unigeniti jus primogenituræ non haberent, nec debuissent Deo offerri in lege quod falsum est.

Ad tertium dicendum, quod Evangelistæ ex eo quod minus est credibile dimiserunt, intelligendum hoc quod magis credibile est. Minus autem credibile est quod virgo concipiat (quod Evangelistæ dixerunt) quam quod post partum virgo conservetur; & ideo non curaverunt hoc dicere.

DISTINCTIO XXXI.

De tribus bonis conjugii.

Post hæc de bonis conjugii quæ sint, & qualiter coitum excusent, dicendum est. Tria sunt principaliter bona conjugii: unde Augustinus, Lib. II. super Genes. ad lit. cap. vii. „Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio, vel alia coatur. In prole, ut amanter suscipiatur, (4) benigne nutriatur, religiose educetur. In sacramento, ut conjugium non separatur, & dimissus, vel dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur.“

De duplici separatione.

Separatio autem gemina est, corporalis scilicet, & sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis, & ex communi consensu causa religionis, sive usque ad tempus, sive usque ad finem. Sacramentaliter vero separari non possunt dum vivunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim vinculum conjugale inter eos, etiamsi aliis à se discedentes adhæserint. Unde Augustinus, de nupt. & concupisc. Lib. I. c. x. & habetur in Decr. causa xxxii. q. vii. cap. „Usque adeo“: „Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum aliis quibus adhæserunt.“ Item, paulo post. „Manet inter viventes quoddam conjugale vinculum, quod nec separatio, nec cum al-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. ad orationem. (2) Al. non esset. (3) Forte cum veniali. (4) Al. deest benigne nutriatur.

terro copulatio possit auferre; sicut apostata anima de conjugio Christi recedens, etiam fide perita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim redeanti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum premii. Item, capit. xi. Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum contineri, absit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur, immo firmiter (5) haeret, quo magis ea pacta secum (6) gerit, quae carius, concordiusque servanda sunt, non (7) voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus. Et attende, quod tertium bonum conjugii dicitur sacramentum, non quod sit ipsam conjugium, sed quia eiusdem rei sacrae signum est, id est spiritualis, & inseparabilis conjunctionis Christi & Ecclesiae.

Haec tria non adsunt omni conjugio.

Est sciendum, ab aliquibus contrahi conjugium, ubi haec tria bona non comitantur. Deest enim fides, ubi vir cum alia, & mulier cum alio coit. Hoc ergo bonum ita conjugio adheret, ut ex eo, si adsit, amplius commendetur conjugium; si non adsit, non inde annihilatur. Quae enim adultera est, non ideo conjugium non est; immo si conjugium non esset, adultera non foret. Quod cum sit, culpa committitur, sacramentum vero non cassatur. Bonum quoque prolis non omnibus adest conjugibus. Quidam enim pari voto continentiam servant; alii pro aetatis defectu, vel alterius rei causa generare non valent. Nec omnes illi etiam qui prolem recipiunt, bonum prolis habent. Nam bonum prolis dicitur non ipsa proles, vel prolis spes, quae ad religionem non refertur, immo ad haereditariam successionem, ut cum quis heredes terrenae possessionis habere desiderat; sed spes, ac desiderium quo proles ad hoc quaeritur, ut religione informetur. Multi ergo prolem habent, qui tamen bono prolis carent; nec ideo tamen conjugium esse desinit. Sacramentum vero ita inseparabiliter conjugio haeret legitimarum personarum, ut sine illo conjugium non esse videatur: quia semper manet inter viventes vinculum conjugale, ut etiam interveniente divortio fornicationis causa, conjugalis vinculi firmitas non solvatur. Ubi vero non inter legitimas personas contrahitur conjugium, non adest illud bonum quod dicitur sacramentum: quia potest solvi ratiū copula, de quibus post dicemus, dist. xxxiv. Quod vero conjugium sit inter eos qui conjugali affectu, non tamen gratia prolis, sed explenda libidinis concupiscunt, nec fornicarii, sed conjuges appellantur, ostendit Augustinus iniquiens (de bono conjugali cap. v. & habetur in Decr. causa xxxi. q. 11. cap. „Solet.“) „Solet quaeri, cum masculus, & femina (nec ille maritus, nec illa uxor alterius) sibi non filiorum procreandorum, sed (8) pro incontinentia solius concubitus causa copulantur ea fide media, ut nec illa cum altero, nec ille cum altera faciat, utrum nuptiae si ne vocandae. Et potest fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit; & prolis generationem, quamvis non ea causa juncti sunt, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant ne nascantur. Ceterum si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio quomodo has nuptias appellare possimus. Btenim si (9) vir aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliquam dignam honoribus, aut suis facultatibus inveniat, quam in conjugio adducat, animo ipso adulter est; nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista, cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium, adulter est. Ecce conjuges dicuntur qui solius concubitus causa conveniunt, si tamen prolis generationem aliquo malo dolo non vitent.

De his qui procurant venena sterilitatis.

Qui vero venena sterilitatis procurant, non conjuges, sed fornicarii sunt. Unde Augustinus, de nupt. & concup. Lib. I. cap. xv. & habetur in Decr. causa xxxi. q. 11. cap. „Aliquando.“ „Aliquando, eosque pervenit haec libidiosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam venena sterilitatis procurat; & si nihil valuerint, conceptos foetus intra viscera aliquo modo extinguat, vel fundat, volendo prolem suam prius interire quam vivere; aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci. Proorsus si ambo tales sint, conjuges non sunt; & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si vero ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter uxoris.“

Quando sunt homicidae qui procurant abortum.

Hic quaeri solet de his qui abortum procurant, quando judicentur homicidae, vel non. Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, & animam habet, ut Augustinus super Exod. q. lxxx. asserit. Informe ante puerperium, ubi non est anima viva, lex ad homicidium pertinere nolu. (10) Dicit etiam Augustinus, (a) quod informe puerperium non habet animam: ideoque mulctatur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed jam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine de-

(5) Nicolai erit. (6) Idem intulerint. (7) Al. voluntariis. (8) Nicolai propter incontinentiam. (9) Al. deest vir. (10) Nicolai. Vel sic plenius. „Quod lex non formatum puerperium nolu ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputavit (id est, non computavit pro homine) quod tale in utero geritur. Hic vero de anima quaestio solet agitari, utrum quod formatum non est, ne animatum quidem possit intelligi; & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat: dicitur enim in Exodo, cap. xxi. Si percusserit quis mulierem foetum in utero habentem, & exierit infans nondum formatus, detrimentum patietur quantum vir mulieris indixerit. Si autem jam formatus fuerit, dabit animam pro anima. Ubi quid aliud intelligitur, nisi & ipse morietur?“ Et inferius rursum. Si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc informiter animatum, ideo lex nolu ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in corpore quod sensu caret, &c. Dicit etiam Augustinus, &c.

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Vel Auctor quaestionum novi & veteris testamenti cap. xxi. 11.

derivata. Nam si cum semine & anima existit de anima, tunc & multae animae quotidie pereunt: (11) cum sententia fluxu non proficit nativitati. Primum oportet domum compaginari, & sic habitorem induci. Cum ergo lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima? Item Hieronymus ad Algasiam (epist. cl. i. quaest. iv.) „Semina paulatim formantur in utero, & tamdiu non reputatur (12) homo, donec elementa (13) confecta suas imagines, membraque suscipiant.“ Ex his apparet tunc eos homicidas esse qui abortum procurant, cum formatum est, & animatum puerperium.

De excusatione coitus qui fit per haec bona.

Cum ergo haec tria bona in aliquo conjugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim servata fide thori, causa prolis conjuges conveniunt, sic excusatur coitus, ut culpam non habeat. Quando vero deficiente bono prolis, fide tamen servata conveniunt causa incontinentiae, non sic excusatur, ut non habeat culpam, sed venialem. Unde Augustinus (de bono conjugali cap. vi.) „Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiae vero satiantur, sed tamen cum conjuges, propter thori fidem venialem habet culpam.“ Item: (b) „Hoc quod conjugari vici concupiscentiae utuntur invicem ultra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus: Dimittite nobis debita nostra.“ Ubi autem haec bona desunt, fides scilicet, & proles non videtur coitus defendi a crimine. Unde in sententiosis (14) Sexti Pythagorici (c) legitur: „Omnis ardentior amator propriae uxoris adulter est.“ Item Hieronymus (contra Jovinianum Lib. I.) „Sapiens iudicio amat conjugem, non affectu: non regnat in eo imperus voluptatis, nec praecipitur ad coitum: Nihil est fecius quam uxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt se causa humani generis uxoris jungi, imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris innumerat, non perdant filios, nec amatores se uxoris exhibeant, sed maritos.“ Idem (d) „In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnatae.“

De indulgentia Apostoli, quomodo sit accipienda.

Sed si concubitus qui fit causa prolis, culpa caret; quid Apostolus secundum indulgentiam permittit? Ita enim ait (I. Corin. vii. 6.) „Hoc autem dico secundum indulgentiam.“ Cui enim praestatur venia nisi culpa? Per hoc etiam quidam probare volunt, nuptias esse peccatum. Sed, ut praedictum est, indulgentia alia est concessionis, (15) alia permissionis. Egerat Apostolus de nuptiis, & de carnali coitu, & ad utrumque retulit illud: „Hoc autem dico secundum indulgentiam.“ Indulgentur enim nuptiae secundum concessionem, & concubitus nuptialis qui fit tantum causa prolis: concubitus vero qui est praeter necessitatem generandi, ob incontinentiam indulgetur secundum permissionem: quia ibi est aliqua culpa, sed levis. Ideoque non jubetur, nec conceditur, sed permittitur: quia non est laudabilis, sed venialis. De hoc Augustinus, sic ait (e) de verbis Apostol. cap. x.) „Forte aliquis dicet: Si veniam concessit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiae: cui enim venia nisi peccato conceditur? Plane quod infirmum, tamen permittit secundum veniam, audeo dicere peccatum esse: veniam namque concedens Apostolus, concubitus attendit conjugatorum, ubi est incontinentiae malum. Incontinentiae malum est quod vir cognoscit uxorem etiam ultra necessitatem procreandi liberos; sed & ibi est nuptiarum bonum. Non enim aqua incontinentiae malum est, ideo conjugium, ubi est concubitus praeter intentionem generationis, non est bonum. Non propter illud malum culpabile est hoc bonum; sed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale; quod non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiae.“ Item (de bono conjug. Lib. I. cap. x.) „Concubitus qui non fit causa prolis, nuptiae non cogunt fieri, sed impetrant ignoscere; si tamen non ita sit nimis ut impediatur tempora quae orationi debentur, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille vero qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur; & hunc non exigere, sed reddere conjugii, ne fornicetur, ad conjugem pertinet. Si vero ambo tali concupiscentiae subiguntur, rem faciunt quae non est nuptiarum; cujus delicti non sunt nuptiae horrae, sed de precarices... (f) Decus quidem conjugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides. Hoc est opus nuptiarum, quod ab omni peccato defendit Apostolus, dicens (I. Corin. vii. 28.) Non peccat virgo, si nupserit... (g) Cum ergo culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges debitum carnis exposcunt non propagnis voluntate, sed libidinis voluntate? Quae tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Immoderata ergo progressio secundum veniam conceditur. Quocirca & hic laudabiles sunt nuptiae, quia etiam illud quod non pertinet ad se, ignoscere faciunt propter se. Non enim iste concubitus quo servitur concupiscentiae, agit ut impleatur foetus, quem postulant nuptiae. Omnino ergo in genere suo nuptiae bonae sunt: quia fidem thori servant, & prolis suscipiendae causa utrumque sexum commiscunt, & impietatem separationis horrent. Sanctitati etiam ju-

(11) Nicolai: cum semen fluxu quodam non proficit &c. (12) Al. homicidium. (13) Hieronymus confusa. (14) Nicolai Xisti. (15) Al. deest alia permissionis.

Ex Edit. P. NICOLAI. (b) Apud Hugonem de Sancto Victore in tract. vii. Summae Sententiarum cap. 111. (c) Ut Hieronymus refert loco mox indicato. (d) In Epist. ad Ephes. cap. v. (e) Nihil tale in Lib. de verb. Apostoli. Sic autem ex Enchiridion. Beda in hunc locum: „Posset putari hoc non esse peccatum, nisi si & Apostolus addidisset: Hoc ergo dico secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem neget esse peccatum, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate fateatur? Propter haec, & alia huiusmodi peccata oportet quotidie dicamus: Dimittite nobis &c. (f) Et cap. xi. (g) Et Lib. I. de nuptiis, & concupisc. cap. xiv.